

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0649

0647

0653

0643

0658

0638

0698

0598

0748

0548

0148

Ende

Anfang

76

Ad meridiem vidimus supra mare mortuum vastam solitudinem  
beati Ieronymi, montes Enggadi, montem Loth, et desertum  
Tecuae, et Idumaeae montes.

Ad aquilonem vero vidimus montes Armeniae, Libanon,  
Antilibanon, montem Hermon, et montes Galilaeae, Thabor,  
Carmeli, Gelboae etc.

Ad occidentem autem vidimus montes Israel, in quibus  
et fuimus. Montes vero circumstantes Ierusalem videre non  
poteramus, quia altiores nobis erant, et in accubitu montis  
Oliveti sunt montes et desertum Quarentanae. Omnia ante  
dicta loca etiam in monte Engadi magis determinate vidimus,  
de quo monte et aliis vide fol. 283 B.

Porro sub monte, in quo eramus, est Iericho, a quo ad  
austrum declinando est Haji. Ad occidentem vero est  
Bethel, quaedam nominata civitas, ubi Iacob scalam in somnis  
vidit, et hodie monstratur ibi lapis, quem capiti suo suppositum  
habuit, quando scalam vidit, eumque evigilans oleo inunxit.  
Dicunt Hebraei, quod Iacob dormire volens tres coacervavit la-  
pides supponens capiti, quia dicit textus, accepit de lapidibus  
regionis, et dum evigilaret post visionem scalae, fuit ex tribus  
lapidibus unus lapis factus, ideo dicit textus, erexit lapi-  
dem etc. Ibi Ieroboam rex Israel posuit unum de vitulis  
aureis, ne populus ascenderet in Ierusalem. De scala Iacob  
habetur Genes. 28. De vitulo aureo 3 Reg. 12. Deinde con-  
vertimus nos ad ipsius montis considerationem, qui est valde  
excelsus; sed quia consurgit a campestribus montes contra  
occidentem ei incumbunt et sunt eo altiores. Et totus mons  
est saxosus, durus, sterilis, praeeeps, in cuius summitate stetit  
una capella, quae est modo destructa, cujus muri et ruinae  
hodie patent, et videtur ibi fuisse olim monasterium. Et tan-  
tum de illo.

### De regressu peregrinorum contra civitatem sanctam Ierusalem.

Igitur cum per horam in sancto monte fuissemus, para-  
vimus nos ad descensum. Quidam autem juvenes milites nos  
praecesserunt per saltus et cursus descendentes, nos vero

